5

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

ULCUSCULIS VENEREIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SNOWDENUS WHITE,

BRITANNUS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXIX.

SNOWDENO WHITE, M. D.

PATRI SUO OPTIMO:

NEC NON

ALEXANDRO MONRO, M. D.

MEDICINAE ET ANATOMES

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI EGREGIO;

PRIMUM HUNC STUDIORUM

FRUCTUM

MEMORI ANIMO.

D. D. C.

SNOWDENUS WHITE.

DISPUTATIO MEDICA

DE

ULCUSCULIS VENEREIS.

ULCUSCULA venerea, quibus nullus morbus, nulla peſtis et ira deûm, foedior, Stygiis ſeſe extulit undis, tractaturus, ab aliqua definitione incipiam.

DEFINITIO.

ULCUSCULA venerea, propriae naturae exulcerationem ponunt. Quippe quae plerumque ſummam cutem occupent, exiguum rotundum cavum efforment, mar-

gine calloſa cingantur, imaque albeſcentis muci ſpeciem praebeant; ſat certo non tamen dignoſcenda, niſi a labe venerea proveniſſe ſit compertum.

MORBI HISTORIA.

Post coitum immundum, naturalia, vel protinus, a veneno exeſis exiguorum vaſculorum oſculis, roduntur, et in ulcuſcula fatiſcunt: Vel, quod conſuetius eſt, pruritus circa pudenda aliquamdiu, citiuſque aut tardius, pro veneni vehementia, aut partis teneritudine, prius perſentitur. Quem deinde ſenſum varus ruber, acutus, pruriens, cum calore ſequitur. Is exiguo in apice foramine, humorem viſcidum emittente, tandem aperitur. Qui rurſus humor marginem et fundum vari rodens, paulatim ulcuſculum margine calloſa, albidi muci ſpecie in imo apparente, cavo exiguo, tenax et viſcidum pus effundente, ut ſupra

eſt

eſt dictum, efformat. Neque in naturalibus aut circa ea ſolum, ſed, in aliis corporis locis quae illis non diſſimilia fabrica ſint, ut in papillis mammalariis, in labiis, in ore, in lingua, et faucibus, illa ulcuſcula graſſantur.

Si mitioris naturae virus eſt, aut exiguum ſolummodo parte receptum eſt, ulcuſcula minora, minus alte ſedentia, minus inflammata, aequalius rotunda, non multu marginibus calloſa, et bonae notae pus emittentia, facile ſanaſcunt. Contra, ſi idem illud acrius et pejus eſt, et magna copia parte laborante receptum eſt; tum ulcera numero plura, figurae inaequalioris, altiora, rubris, prominentibus, inflammatis et calloſis marginibus, humorem malum et ichoroſum profundentia et in fundo mucoſa ſubfuſca materie denſe cooperta, cernuntur. Quod ubi fit, praeſertim ſi ulcuſcula, acrium eſcharoticorum frequentiore quam par eſt uſu, irritata ſunt, glans colis, et praeputium,

aut

aut naturalium labia, nymphae, clitoris, et carunculae myrtiformes, inflammata intumeſcent.

HARUM partium tumores trium generum ſunt. Si tumor dolet, rubet, et prementi digito facile cedit, quo remoto, facile etiam reſurgit, ille inflammatus aut phlegmonoides adpellatur. Rurſus, ubi neque dolet, neque rubet, neque calet, nec digito adpreſſus cito reſurgit, et ſero pellucente repletur, ſeroſus aut oedematoſus nominatur. Poſtremo, ubi doloris, caloris, et rubedinis expers, prementi digito prorſus reſiſtit, durus ſeu ſchirroſus nuncupatur.

ALIQUANDO praeputium tumeſcens ita arcte glandem totam obvolvens circumplectitur, ut id nulla ratione retrahi aut loco moveri poſſit, quod phymoſis dicitur; atque ulcera ita obtecta reconduntur, ut vix quicquid extrinſecus iis admoveri, aut ipſa munda ſervari poſſint. Simul urina infra praeputium penetrans

trans glandem irritat, inflammat, et ulcera amplificat.

Nec raro praeputium intumescens, adeo pone coronam glandis in rugas arcte contrahitur, ut protrahi ad glandem tegendam nequeat; paraphymosis hoc vocatur.

In utroque casu urethra, adstricto praeputio, coarctata, difficilem urinae transitum et dolore plenum reddit. Unde etiam partis inflammatio et tumor crescunt.

Ab iisdem tumoribus interdum aquosae crystallinae vesicae oriuntur, quae disrumpi solent, et ichorosam lympham profundere.

Quae ubi fiunt, tanta inflammatio est, ut febrem concitet. Ipsa vero ulcuscula ampla, patula, inaequalia, immunda, ac tandem nigrescentis coloris, esse incipiunt. Quo facto, serpit gangraena et locum adflictum perdit. Quod quidem horum ulcerum, ubi tanquam partis morbus

morbus habentur, ſummum ſit periculum.

SOLUTIS iis tumoribus, atque ipſis ulcuſculis ſanatis, ſaepe tubercula dura, et quaſi chordae, ulcuſculorum veſtigia occupantia, item verrucae venereae, ſuperſunt. Quae quidem multum creſcentes ſaepe phymoſes et paraphymoſes permanſuras creant.

VARIA praeterea poſt labem veneream in pudendis aut circa ea excreſcunt. Quae, pro ſitu aut facie diverſis, etiam diverſa nomina ſortiuntur; qualia pori, criſtae, fici, morae, et mariſcae, ſunt. Omnia ea, ſi creſcunt, ſi rubeſcunt, ſi caleſcunt, et dolorem jaculantem habent, verti in cancros periclitantur.

VERUM prae caeteris extimeſcendi ſunt inguinum tumores; utpote qui omnium incommodorum frequentiſſime ulcuſcula venerea ſequantur. Ii bubonum diro nomine, ipſi diri, vulgo adpellantur. Glandulae inguinales cum duritie primum, calore, rubore, inflammatione, et dolore,

dolore, intumeſcunt. Qui tumor, indies increſcens, tandem apicem mollem et prominentem, jam ſuppuratis glandulis, edit. Sic incipiens creſcenſque tumor generis phlegmonoidis ſeu inflammati eſt; faciliſque vel ſolutu vel ad ſuppurationem perductu eſt. Contra, ſi tarde creſcit, neque multum ſive caleſcit, ſive dolet, ſive rubeſcit, et impreſſi digiti notam retinet, oedematoſus erit. Quod, ſi durities primum adparens, nil remolleſcit, ſed ſine dolore, ſine inflammatione permanet, fit tumor durus.

Ex his tumoribus duo poſteriores difficile ad ſuppurationem aut reſolutionem perducuntur, et poſt ſe plerumque nucleos, eodem ubi ipſi fuerint loco, relinquunt. Qui nuclei, ſi molles et mobiles permanent, metui eſſe vix debent. Iidem, ſi fixi dolent, creſcunt, et calent, aliquando in cancros mutantur.

Hi tumores raro aut nunquam fiunt, quin noxae venereae aliquid per vaſa lymphifera in ſanguinem evadat. Ex quo

quo fonte omnia luis venereae, ut gutturis, oris, nariumque ulcera, in cute maculae, artuum ac membrorum dolores, caries oſſium, poſtremo omnium actionum ſive vitalium, ſive animalium, quae dicuntur, affectus mali, promanant. Atque haec mala omnia mediis tumoribus naſcuntur. Verum,

Absque glandularum inguinalium tumoribus, interdum labes venenoſa, abſorbentibus accepta, in ſanguinem protinus tranſit. Cujus mali prius latentis, ſanguiniſque infecti, primum ſignum dant gutturis et faucium ulcera, diverſis temporum ſpatiis, pro majore aut minore noxae vehementia hominiſque infecti robore, aut vitae vario genere, adparentia.

Diſcrimina quibus ulcus venereum dignoſcatur.

Ad rem maxime eſſe videtur, ſigna et diſcrimina, quibus ulcus venereum a ſimilibus malis dignoſcatur, exponere. Primumque caſus ancipites, qui, licet venerei

nerei non ſint, tamen curantes pro venereis facile fallere poſſunt, attingemus. E quibus,

Glans colis, ſine veneno venereo, et exulcerari poteſt, et aliquando exulceratur: Scilicet, ubi alicui rem cum muliere ſive ſub menſtruis ſive fluore albo laborante, quo tempore acerrimum eſt profluvium, forte habere contigit.

Item glandem abradare poteſt, vel concubitus cum muliere cujus vulva praeter ſolitum anguſta eſt, vel materia ſebacea, illic collecta, et morando acris reddita.

Quae ulcuſcula a venereis ita diſtingui poſſunt, quod in minimam altitudinem, latitudinem maximam, patent, inaequalis figurae ſunt, et marginibus calloſis, poſtremo albeſcentis in ima parte muci ſpecie, carent. Nec minus certo dignoſcuntur, quod vel ſua ſponte decedunt, ve adſtringentium et detergentium remediorum uſu brevi conglutinantur.

CONTRA, cum, ut ſupra commemoratum eſt, ulcuſcula venerea rotunda, aequalia, circumcirca calloſa, alte ſedeant, et aliquid muci albeſcentis inſtar in ima ſede recondant; ſi talia in genitalibus adparent, quin venerea ſint non erit dubitandi locus.

SED aliud ulcerum genus ſaepenumero guttur obſidet. Ea ſunt quae in angina gangraenoſa cernuntur, et putridae naturae cum ſint, tamen venereis ſimillima fallunt. Ad quae a venereis diſtinguenda, notae comitantes conſiderandae ſunt, et morborum genera, ſi qua per populum forte graſſantur, aut anni tempus adfert, diligenter contemplandae. Itaque, ſi ſigna febrilia, ſi tumores majores per guttur et tonſillas latius ſerpſerunt, ſi ulcuſcula magis in latitudinem quam altitudinem patent, et prae caeteris ſi putridae notae febres per multitudinem ſaeviunt; vix errabit, ſi quis talia ulcuſcula venerea eſſe negaverit.

VERUM

VERUM per omnia haec discrimina, vel prudentissimum et acerrimi judicii medicum falli posse, non est inficiandum; eoque magis, quod, dum alios pudor, alios religio, alios voluntas, sive insolita proloqui, sive culpas fateri, sive ea quae nolunt credere, prohibet, multis sane temporibus exprimi verum nequit. Quoties vero aegrotans rogatus bona fide respondet, ea demum res ante omnia discrimina medico, qualis sit morbus, patefaciet.

COGNITO tandem morbum venereum esse; proximum est, sitne a vetere an nova contagione profectus, anquirere, utpote cum idoneae curationis summopere interfit, quamdiu mali causa intus delituerit, exploratum habere. Nam, si vetusta labes fuerit, primo quoque tempore auxilio opus erit. Ergo,

SI ulcuscula fraenum aut carunculas myrtiformes occuparunt, si malae notae sunt, et rapide procedunt; e recente noxa orta sunt habenda. E contrario, quae pauca numero et mitia sunt, diuque neque

que multum in melius neque in pejus inclinant, et praesertim, posteaquam discesserunt, rursus redeunt; scire licet, e labe vetusta venisse. Sed et hic quoque indicium candidi aegrotantis certissime ad verum ducet.

EVENTUS JUDICIUM.

Ulcuscula venerea quae leniora sunt et rite curantur, raro sanatu difficilia sunt. Quae vero malae notae sunt, et multa numero inter se confunduntur, ea difficilius sanascunt; praesertim, ubi glandis et praeputii tumor cum phymosi aut paraphymosi supervenerunt. Difficillime omnium ad sanitatem perducuntur ea, quibus vesicae crystallinae et gangraenae periculum superadduntur.

Attamen, ut ut sublatu facilia hujusmodi ulcuscula sint, haud omittendum est, recente veneno nata, raro sanguine intacto decedere; ubi vero eadem antiquior labes fecit, hanc in sanguine latitare, indicio certo constat.

Postremo,

Postremo, non desunt horum ulcusculorum ad sanitatem, nullo adhibito mercurio, reductorum exempla *.

ADFECTUUM EXPLICATIO.

Ulcuscula venerea, veneno venereo parti admoto, nascuntur. Nam in mulieris infectae concubitu, glans, praeputium, atque etiam tota coles, pure contagioso a vaginae ulcusculis profluente, infici periclitatur. Et e contrario, tota vagina ab ulcusculis colis, totam explorantis, in pari periculo versatur. Quae tamen ulcuscula, nisi in glande colis et praeputii parte interna, aut in vaginae partibus interioribus, raro observantur.

Item

* Amicus quidam meus et bona fide, nec ab arte nostra alienus, sese bis satis acria ulcuscula venerea, sola tepida lactis et aquae lavatione, in sese sustulisse; ac neque vini potatione neque exercitatione interea abstinuisse, perque multos annos secundissima, valetudine usum esse, haec mihi scribenti confirmat.

Item chirurgi, quibus inter haec ulcuſcula curanda digiti pure toti conſperguntur, niſi his inciſis forte, aut quomodocunque cuticula nudatis, labis omnis expertes evadunt. Unde diſci poteſt, in cuticulam noſtram, qualis in pleriſque ſummi corporis locis eſt, venereum virus non poſſe integram tranſire. Partes vero quae veneni contactui maxime objiciuntur, ut glans, praeputium interius, item interior vagina, ob fabricam praecipue laborant, et ad labem recipiendam accommodantur. Nam in his partibus cuticula tenuiſſima et tenerrima eſt; eaedemque innumerabilibus vaſis exilibus et exiguis inſtructae ſunt. Vaſa humorem ſebaceum, ad partes vicinas lubricandas, aſſidue apertis oſculis exhalant. Quae oſcula, inter concumbendum, apertiora ſolito ſint neceſſe eſt. Hinc aditus veneno, qua in vaſa promanet, datur. Quo facto, et collapſis rurſus hinc cole virili, illinc vulva muliebri,

bri, vaſorum oſcula iterum claudi, et venenum retinere, veriſimile eſt.

JAMQUE in iis vaſis conditum venenum eorum ora acri ſua natura rodit, inflammat, ſuppurationem inducit. Et ſic ulcuſcula formantur.

ALIA cauſa, quare hae partes labem potiſſimum recipere putandae ſunt, ex ulcuſculorum, quae labes vetuſta fecit, ſede trahitur. Talia enim ulcuſcula vel ipſas has partes vel fabrica conſimiles, ut guttur, fauces, labia, et naſi membranam, ſemper fere occupant.

PARTE ita ut dictum eſt exulcerata, ejuſdem inflammatio oritur. Quae rurſus ſanguinem et lympham majori verſus ſe impetu et copia concitans, ſimul ulcuſculorum ipſorum callus, ſanguinis et humorum reditum prohibentia, ut vaſa obſtruantur, et intumeſcat pars, efficient. Cumque eadem vaſa communia glandi et praeputio ſint; quare alterius tumor ad alterum adeo facile perveniat, ratio in promptu erit. Itaque ſive glandis

dis vaſa, ulcuſculis illic ſitis, magis obſtruuntur; ea quoque inflammata magis intumeſcet. Contra, ſi impedimenta in praeputii vaſis magis inciderunt, inflammatio et tumor ad praeputium magis pertinebunt.

Si ſanguis, adſtrictis venis et ſubſequentibus harum impedimentis, in minora vaſa lymphifera cogitur; tumor generis phlegmonoidis erit.

Si lympha, compreſſis ſuis vaſis, ſola impeditur; tumor oedematoſus naſcetur.

Quod ſi eadem lympha ſtagnando, craſſa et viſcida dureſcit, durus quoque tumor ſequetur.

Eidem ſtagnantis lymphae duritiei, duri quoque earundem partium quaſi funiculi, et phymata, debentur. Tenuioribus nempe lymphae partibus diſſipatis, reliqua addenſata dureſcit *.

His paulo diutius durantibus, humor partium calore acer reddetur; creſcentiaque

* Aſtruc.

iaque uſque phymata dolores jaculantes creabunt: Fermenteſcenſque mox humor, id acredinis adquiret, ut, perroſis vaſis, viam ſibi foras faciat. Atque ſic cancer apertus formabitur.

Postremo, plurimae in his partibus papillae, veneno venereo inflammatae, majore muci copia adfluente replentur, dureſcunt, magnitudine creſcunt, et verrucis venereis initium tandem faciunt.

His omnibus, qua potui, explicatis, ulcerum inguinalium ex ulcuſculis ortorum, proxime, ratio ſequitur.

Earundem de quibus egimus partium vaſa abſorbentia, veneno venereo eroſa et exeſa, id recipiunt, et ad glandulas inguinales perferunt; ubi impedimenta prius, deinde tumores, creat. Sic enim, venenum ad eadem loca ab iiſdem perferri, eo credibile eſt, quod ſuperiores inguinis, quae lympham a naturalibus accipiunt, glandulas ſolas adit. Cumque alteras, quae ab imis artubus lympham accipiunt, idem non attingat; ea res, id non ſan-

guine circumlatum, ſed protinus, et recta via per vaſa abſorbentia, eo deferri, argumento eſt *. Et ob eandem cauſam, inguinum tumores, non a colis inflammatione vi nervoſa per arterias eo decurrere credendum eſt.

Porro, ubi inguinis glandulae non adeo obfarciuntur, ut veneni per vaſa abſorbentia ulteriorem tranſitum prohibeant; hoc ad ductum thoracicum perferri, et univerſo ſanguine miſceri, poteſt.

Saepe alterum inguen ſolummodo vitiatur; quod eo forſitan fit, quia ulcuſcula venerea ad ejus lateris vaſa ſola attineant.

Ubi virus non in eam altitudinem forſitan deſcendit, ut abſorbentibus vaſis noceat, vel copia humoris profluentis aufertur; tum ulcuſcula, tanquam partis ſolum vitium, intacto ſanguine, ſanabilia ſunt.

Contra, ſi virus adeo dilutum eſt, ut glandulas inguinis, quaſi obicem oppoſitas,

* Monr. pract. anat.

positas, libere, neque vasis infarctis, transeat; protinus in sanguinem, neque ulcere relicto, neque signo ullo dato, prodibit.

Ulcera gutturis, et alia luis consummatae signa, eo fiunt, quia virus venereum cum universo sanguine penitus commixtum est. Eas autem sedes occupat, quia earum fabrica talis est, ut hujusmodi noxam potissimum recipiat, et ab eadem contaminetur.

Quae vero veneni venerei natura sit, quove modo humores nostros ita adficiat, ut sua edat effecta, nihil certi aut explorati experimenta adhuc docent. Solumque constat, hanc ei cum aliis humoribus contagiosis communem esse proprietatem, ut humores nostros in suam vertat naturam; atque ita pro fermento agens, et vehementia ac saevitia usque crescens, donec corrigitur aut corpore prorsus expellitur, recentia semper et pejora mala gignat.

Cum

Cum non ſolum morbis praeſentibus mederi, ſed et venturis occurrere, boni medici ſit; priuſquam curandi rationem adgrediar, haud alienum a propoſito erit, quaſdam rationes, quibus in impuro coitu veneni venerei noxa prohibeatur, et dirum in primis ſaepe malum avertatur, proponere.

Multa ſane medicamenta extrinſecus admovenda; nam nihil intus acceptum quicquid agere ſperatum eſt, certa et nunquam ſpem fallentia futurae contagionis remedia, miro hominum ſtudio jactata ſunt. Quorum tamen omnium, ſi eventu judicandum eſt, nullum certo optatum finem contigit; neque repertum quicquam adhuc eſt, quod, explorata reque cognita virtute, Veneris ſive caſtra ſequentibus, ſive ſigna ferentibus, commodi tantum praeſtet. Verum licet proprium et perpetuum nullum hujuſmodi bonum inventum ſit, tamen, cum quaedam, ſi non ſemper, ſaepe ad ſententiam procedant, et, ut aliquando contagioni, alioquin

alioquin incaſurae, occurrant; ita plerumque hanc, ubi incidit, mitiorem et leniorem, et morbum ſanatu facilorem, reddant; de iis loqui pergam.

PRIUS vero quam medicamenta attingam, tempus et rationem quibus admovenda ſint, conſiderandum eſt.

TEMPUS admovendi medicamenta duplex eſt; ante et poſt concubitum.

RATIO admovendi ad duo conſilia redit: Primum eſt, venenum ne partes opportunas attingat, curare. Aut, ſi jam eas attigit, alterum conſilium eſt, ne illis noceat, aut morbum excitet, qua abluendo, qua corrigendo, cavere.

QUOD ad primum conſilium attinet; aggredienda res eſt, partes oleoſa aut pingui aliqua re inungendo; hac, ſcilicet, ſpe ut foramina virus recipientia occludantur, et illud introitu prohibeant. Quod ſi idem unguento mercuriali tentabitur; ſpes praeterea veneni corrigendi dabitur.

SECUNDUM

SECUNDUM conſilium iis rebus perficitur, quae mucum aut humorem ſebaceum diſſolvendi, auferendi, aut profluentem percitandi, poteſtatem habent. Talis ipſa urina eſt. Neque praeter urinam, eandem ſpem non promittit lenis alkali cauſtici, aut etiam ſaponis, ſolutio; ubi oleo rodentem alkali naturam leniendi copia datur. Poſt quod uſui etiam eſt ſacchari ſaturni in aqua roris marini ſolutio mitis, aut unguento mercuriali partes ſuſpectas inungere. Supra dictis addendum eſt, hanc ſecundam curandi partem, quo maturius poſt amplexum, quoque diligentius et ſaepius modo memorata adhibeantur, eo magis efficacem et eventus certiorem futuram.

ATQUE haec omnia eo majore cum cura adgredienda et perficienda ſunt, quo major, ut ſupra praemonitum eſt, ſpes datur morbo, adhibitis iis, ſaepe occurri poſſe. Cum vero dubium non ſit, quin, ut morbum non prohibeant, tamen, et copia et ſaevitie veneni imminutis, illum

poſtea

poſtea leniorem et ſublatu faciliorem reddant; ita hoc etiam nomine non eſt tantilli laboris, propoſito praemio, poenitendum.

CURATIO

In curatione eundem, quem hactenus, ordinem obſervabo: Primumque de ulcuſculis venereis quae recentiora ſint curandis; poſtea de ſaevioribus et effectibus eorum, item aliis ulcuſculis e vetuſta noxa pendentibus, verba faciam.

ULCUSCULORUM RECENTIUM,

Ad ulcuſculis quae veneno nuper rerepto nata ſunt medendum, triplex conſilium reputanti mihi ad animum accurrit: Primum ulcuſculorum calorem, dolorem et inflammationem levare; tum virus quod ſanguine receptum eſſe poſſit, mutare, corrigere, aut corpore denique

que ejicere; poſtremo, primo ipſa ulcuſcula bluere, detergere, et purgare; ſecundo, callum eadem ambientem mollire, denique cicatricem bonam inducere, et vulnera conglutinare.

Ut ad primum redeam medendi conſilium; inflammationem et ejus effecta cum calore dolorem, ſi homo pleniore corpore eſt, ſanguinis, inciſa vena majore, detractio ſublevat. Si minus plenus eſt, ex ipſa aegra parte, ſanguis ſola, ut nonnullis placet, mittendus eſt. Neque in quolibet habitu haec ſanguinis demendi ratio non illi longe praeſtat; utpote cum in omni inflammatione perpetuum hoc ſit, ut, quo propius inflammationis ſedem ſanguis auferatur, eo plus pariatur levaminis. Eidem conſilio, leniter refrigerantia, alvum ſolventia, ipſi loco laboranti quaedam admota, ut fomenta calida, cataplaſmata, et ſuſpenſa coles, accommodantur.

Secundum conſilium mercurio, de quo plenius poſtea verba fient, perficitur.

Ad

Ad primam tertii partem, nam in tres partes ſupra diviſum eſt, confert lactis et aquae conjunctae lavatio. Quae, quia parum ad mucum abluendum valet; ideo vitrioli caerulei aut ſacchari ſaturni, vel praecipitati rubri, cum unguento baſilico flavo conjuncti, ſolutione leni opus erit. Quibus tamen omnibus efficacius eſt, et ad ulcuſcula detergenda, et eorundem calloſam marginem molliendam, calomel ulcuſculo adſperſum, aut hoc cinnaberis fumo ſubjectum, et poſtea ſicco lino contectum. Quod ſi his quoque mala ulcuſculorum natura reſiſtit; tum vitriolo caeruleo, aut etiam lapide infernali, tangenda ſunt. Quae tamen, niſi parce et caute, non ſunt tractanda; periculoſus enim eſt talium eſcharoticorum uſus temerarius. Poſtremo, cum ulcuſcula jam bonam carnem reparare incipient, linimento Arcaei aut cerato vulgari perfici curationem oportebit.

ULCUSCULORUM SÆVORUM,

Ubi ulcuſcula pertinacia, et inflammatio magna, ſunt, jamque phymoſes vel paraphymoſes ſupervenerunt; haec oriuntur conſilia: Primum, inflammationem et tenſionem partium imminuere, et tumores diſſolvere, conari. Aut, ſi hoc fieri nequierit, tum gangraenae venienti occurrere, vel, ſi advenit, eam ſupprimere, aut partem demum delere.

Ad primum horum conſiliorum, eſt ſanguinis, et e venis majoribus, et e parvulis partis adfectae, crebra miſſione opus; item mollientibus et antiphlogiſticis clyſteribus, ſolventibus et refrigerantibus fomentis, cataplaſmatibus continuatis, et corpore reclinato. Antiphlogiſtica quoque ore ſumenda; omnia eſcharotica et ſtimulantia medicamenta procul fugienda ſunt.

Si phymoſis eſt, diluta ſacchari ſaturni in aqua roſarum ſolutio ſubter praeputium immittatur;

immittatur; idemque hoc aqua tepida, cui lactis paululum adjectum ſit, crebro lavetur. Contra paraphymoſin, ulcuſcula abluta, ut ante praeceptum eſt, detergeantur, praeputii rugae cum cura explicentur et purgentur, eaeque partes quam maxime ab urina defendantur.

Quod ſi forte tumor et inflammatio remiſerint, praeputium ad priſtinam mollitiem, ſolventibus et diſcutientibus auxiliis, reſtituatur. Eodem, ubi multum jam illa imminuta fuerint, leniter reducto, ulcuſcula infra, pari ac ante ratione, conglutinentur. In paraphymoſi, praeputium, ubi ſatis jam remolleſcit, ſuper glandem traductum bene ablutum foveatur.

Quibus auxiliis ſi vis mali parum ceſſerit, ad cultrum decurrendum eſt. Et in phymoſi, praeputium ab utroque latere, nam in ſummo magna vaſa vitanda ſunt, dividendum: In paraphymoſi, tranſverſim rugae concidendae. Quo facto, vulnera ſolito more conglutinanda.

Si

Si cryſtallinae veſiculae ſunt, iis inciſis lympha emittenda eſt; imaeque illae abluendae. Iiſdem ſi livor ſubeſt, caro concidenda, ſpirituque vinoſo camphorato lavandum.

Cui rerum facies ſi vera gangraena ſupervenerit, inſana a ſanis ſeparentur, et eodem, quo in gangraena fieri ſolet, more tractentur.

Eadem curatio muliebribus aeque ac virilibus convenit naturalibus, niſi ubi diverſam paulo, horum conformationis diverſitas, requirit.

EXCRESCENTIUM,

Omnia venerea excreſcentia ſub eodem capite recte comprehendere videor; ſiquidem eadem conſilia medendi omnibus fere accommodantur. Ea vero tria ſunt: Primum, excreſcentia reſolvendo tollere; tum, ne in cancros vertantur, curare, aut jam verſa, ut malum alioquin immedicabile, cultro recidere; poſtremo, cum ipſa haec excreſcentia plus labis venereae

in

in corpore latitare indicent, id corpore expellere aut corrigere.

Ad primum consilium respondent discutientia, quae dicuntur. Hujusmodi sunt unguentum mercuriale, calomel, praecipitatus ruber, aut fumi cinnaberis. Quibus si resistunt, vitriolo caeruleo aut lapide infernali tangantur.

Ut ad secundum consilium transeatur, si in cancros excrescentia degenerare videntur; his medicamentis omissis, ad leniter antiplogistica resolventia deveniendum est. Simul ea quae acrem sanguinis habitum corrigant, et blandiorem ei naturam impertiant, intus dare utile est.

Quod si cancer jam manifesto natus est, cum nulla mora cultro recidendi fit necessitas.

TUMORUM INGUINALIUM CUM INFLAMMATIONE,

Tumores inguinales, ut ulcusculorum de quibus locutus sum effecta, proxime sunt tractandi. Adversus quae haec tria consilia surgunt; primum, ulcera repellere

pellere atque resolvere; tum ad suppurationem perducta cultro aperire; postremo, virus, quod inde in sanguinem forte transierit, corpore ejicere aut corrigere.

Quorum consiliorum duo priora multis argumentis commendata sunt. Quibus omissis, rationem curandi in utraque exponam.

Primum, resolventia, quae perperam discutientia vocantur, super ipsum inguinis tumorem admota, requirit. Hujusmodi sunt unguentum mercuriale forte, magna copia et bene inunctum; cataplasmata, quibus saccharum saturni adjectum sit; sanguis tum e magnis venis, tum e parvis loci tumentis vasis detractus; postremo, cathartica quae generis antiphlogistici, seu inflammationi resistentis, sint. Quae si mature admota sunt, plerumque ad votum respondent.

Contra, si frustra fuerint; secundum exequendum erit consilium. Cui lautus victus, sive ciborum sive potionum genus respicis, et cataplasmata suppurationem

tionem adjuvantia, aptantur. Quorum usu, pure jam facto, non prius desistendum est, quam totam glandulam duram suppuratio tenuerit. Quo facto, tumor vel cultro vel causticis aperiendus est. E quibus posteriora praestare videntur; cum et humori liberius exeundi potestatem faciant, et, quo minus margines callosae fiant, prohibeant.

Jamque aperto ulcere, liber puris exitus servandus, vulnusque, si qui sinus forte subsint, altius explorandum est. Si hi minores erunt, immissis liquoribus purgentur, et, ut pus suum emittant, curetur: Si majores, prius nulla sanitatis spes reliqua est, quam cultro aperti omnem intus humorem profundant.

Si bonus corporis habitus est, solito more vulnus conglutinatum sanascet.

Contra, si pervicax et marginibus callosum esse incipit, detergendum est, et sublimati corrosivi solutione lavandum: Vel calomel aut praecipitatus ruber supra partem conspergenda, aut cinnaberis

fumi

fumi admovendi, ſunt. Quibus ſi parum callus movetur, vulnuſque occallere magis incipit; tum lapide infernali id totum contingendum eſt. Hic quoque cortex Peruvianus, magna copia datus, multum prodeſſe ſolet, neque mercurii uſum impedit.

Postremo, ubi bona caro regenerari incipit, ad eam rem pulvis lapidis calaminaris, myrrha et linimentum Arcaei, auxilio ſunt.

ULCERUM INGUINALIUM OEDEMATOSORUM AUT DURORUM.

Si ſupra praeceptis medicinis oedematoſa aut dura ulcera inguinalia neque ſolvi neque ſuppurari potuerint; nucleum, modo ne fixus ſit, delere, optimum factu eſt. Quod eſcharoticis quam cultro fieri praeſtat. Sic enim minus vaſa vulnerandi periculum eſt, et ſanaſcendi ſpes major. Quam utique rationem ſi aegrotans pati nolet; ne cancer ſubnaſcatur, proxima erit cura.

Quod

Quod ad noviſſimum medendi conſilium attinet; labes in corpore latitans corpore ejicienda aut corrigenda mercurii uſu eſt. Is vero a primo ulceris venientis conſpectu dari debet; ſiquidem et communem curationem maturat, et propriam non impedit. Cum autem labis ſanguine latentis, et hunc inficientis, certiſſimum indicium gutturis ulcera peragant; ab iis incipiens, de iis ita verba faciam, ut labem ſanguineam, eorum certam originem, ſolam comprehendam; et ſi qui adfectus ſingulares ab eadem labe pendent, eos, utpote de quibus aut jam ſatis peroratum ſit, quive a noſtro propoſito alieni ſint, omnes praetermittam.

ULCERUM GUTTURIS.

Ulceribus guttur obſidentibus medendi duo ſunt conſilia. Primum idem eſt quod adverſus naturalium ulcera propoſitum eſt, et iiſdem remediis perfici-

tur. Secundum consilium, virus venereum, jam manifesto sanguine receptum, corpore ejiciendum aut corrigendum, ponit.

Huic cum mercurius solus respondeat, et solus efficax adversus veneream noxam sit repertus, ita de solo loquendum censeo. Ideo plenius hic utendi mercurii rationem, primumque quantum dandum sit, dein qua ratione paratum, exponam.

Labem veneream sanguinem corrumpentem inde, aeque sine salivatione ac cum ea, ejici aut corrigi, jam inter omnes convenit, ut nihil magis constet. Cumque praeterea salivatio et molestiae et periculi plurimum habeat, dubium non est, quin jure repudianda sit. Dandus igitur eo usque mercurius est, donec aeneus ore sapor sentiatur, gingivae adficiantur, et saliva leniter profluat. Quo facto, saliva non amplius movenda, et medicina, excretionum alia aliqua concitata, e corpore est purganda.

Quod

Quod ad rationem parandi attinet, intus quae assumuntur unguento antecellunt. Sic enim, quantum corpore recipiatur, dijudicatu facilius est. E formis vero quae intus accipiuntur, eae quae et leniſſimae sunt, et potenter tamen agunt, potiſſimum deligantur. Hujusmodi est mercurius mucilagine aut melle lenitus, et in pilularum formam confectus.

Si is ore alicui acceptus, nimis in inteſtina ruens, cum dejectionibus corpore ejicitur; ei opiata conjungantur. Quod, si neque ea ejus per alvum exitui occurrunt, tum ad unguentum neceſſario decurritur. Cui tamen magna cum cura inſistendum est.

Quoties ulcera non ita gravia sunt ut aliquid secus minitentur, neque ea protinus conglutinandi subsit neceſſitas; optimum factu est ea munda gargarizando servare, et mercurium, dum illa sanascant, dare non desistere. Sic enim certis esse licet, sanatis ulceribus nihil noxae in toto corpore supereſſe.

Si,

Si, ut nonnunquam factum est, mercurius solus ulcera non sustulerit, lignorum praeparationes, praeque caeteris sarsaparilla, assidue bibantur. Item, cortex Peruvianus, praesertim in habitibus scorbuticis, adversus veneream noxam efficax repertus est.

Absoluta, quantum in medicamentis est, morbi curatione, qualis victus esse, quoque modo inter supra memoratas medicinas se gerere, aegrotans, debeat, paucis commonstrare haud alienum videtur.

Olim accuratissime se curare, et severas sequi leges, infecti sunt coacti. Verum, intra paucos annos medentes de molesta illa severitate multum remiserunt. Jamque inter plerosque et optimos sive medicos sive chirurgos, nam in utrorumque manibus, et modo in horum, modo in illorum, pro aliorum aegrotantium alio arbitrio, res est, convenit, solitum vitae genus alias non esse mutandum, nisi ut aromatibus, cibis conditis, et vini spiri-

tuumve

tuumve multo, demptis inguinum ulceribus ſuppuraturis quae hunc ipſum victum quam maxime requirunt, ſit abſtinendum; victui lacteo, juſculis, et carnibus quae materiae levioris ſint, potiſſimum inſiſtendum; calori corporis mediocri, hybernis diebus cubiculo mediocriter calefacto, conſulendum: Poſtremo, aër nocturnus, et omnes ſubitae tempeſtatum et coeli temperiei viciſſitudines aeſtate ſint vitandae. Quibus praeceptis, minime arduis, qui paruerit, is morbi vi et mercurii actione minus debilitabitur, citiuſque ad priſtinum robur, et valetudinis integritatem, reſtituetur.

QUAM quo certius recuperet, ſublato quamvis morbo, victus tamen quam maxime alens leniſque, item Cortex Peruvianus, aquae chalybeatae, exercitatio, et aëris mutatio, quaerenda.

FINIS.